ANTONII AEMILII
Ad
CÆSAREM GERMANICUM,
Jam moribundum,
ALLOCUTIO,
Recitata post absolutum Taciti Annalem secundum.

VLTRAIECTI,
Ex Officinâ ÆGIDII ROMAN, Academ.
Typographi, Anno MDCXL.

Tacit. l. Histor. cap. 11. Et de vita Agric. cap. 5.

Nobilitas, opes, gestiqúe honores, pro crimine erant, & ob virtutes certissimum exitium. quibus temporibus siniſtra erga eminentes viros interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, quàm ex malâ.

Cauſa mortis Germanici.

CAEſar Germanicus, natus Druſo patre, qui frater Tiberii, & matre Antoniâ minore, quæ Auguſti ex ſorore neptis, vir ſeculo ſuo major, & belli ac togæ artibus juxtà clarus, &, ut laudes ejus in pauca conferam, Romanorum ultimus, rebus adverſus tranſrhenanos populos, & Cheruſcorum principem Arminium, feliciter geſtis, totam quaquà iverat, ſuis trophæis implêrat Germaniam: ſed exitium victori ipſa virtus attulit & victoria. Hâc quippe rerum gloriâ, & ſingulari comitate, populi pariter & militum amorem promeritus, & civili ingenio per omnia libertati, quàm ſervituti propior, ſibi infeſtum habuit patruum Tiberium. qui eximiam juvenis virtutem ſuſpectans, ex Germaniâ revocatum, in Syriam & Armeniam miſit, hoc obtentu, ut res Orientis componeret, re autem verâ, ut dolo & caſibus eum objectaret. Piſonem quippe prætorem Syriæ, clàm ſubornat, qui adjutante uxore Plancinâ, Germanico occultè venenum miſceat: ex quo Antiochiæ, celebri urbe Syriæ, jam moribundus, graviter apud circumſtantes amicos queritur, quibus ultionem ſceleris, & Agrippinam conjugem ac liberos commendat, apud *Tacit. Annali 2. cap. 71.* Si fato, *inquit*, concederem, juſtus mihi dolor etiam adverſus Deos eſſet, quòd me parentibus,

liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent. Nunc ſcelere Piſonis & Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus veſtris relinquo, referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidiis circumventus, miſerrimam vitam peſſimâ morte finierim. Si quos ſpes meæ, ſi quos propinquus ſanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum ſuperſtitem, muliebri fraude cecidiſſe. &c.

Non ita multò pòſt, magnus & nunquam ſat laudatus dux Germanicus rebus humanis valere dixit & plaudere, ſua autem conjugi, & liberis dolere, & plangere. De iniquâ autem, ut videtis, & præmaturâ morte expoſtulat, & quòd procul patriâ & propinquis, inimicorum ſcelere extinguitur. Nos viri principis animum adverſus grave & improviſum hunc caſum ſalutari firmatum imus alloquio.

ANT.

Ad moribundum Cæſ. Germanicum.

Allocutio.

DVrum, fateor, & grave eſt, Germanice Cæſar, magnum imperatorem, quem ſtantem mori oportuit, non hoſtili manu, ſed ſuorum ſcelere cecidiſſe. Acerbum, fateor, generoſo duci eſt, placandæ inimicorum invidiæ inglorium effundere ſpiritum, quem patriæ & reip. impendere debuit. Grave quoque, in tanto rerum & fortunarum curſu, ætate & gloriâ florentem principem virum, ſuorum fraude, eripi rebus humanis. Indigna quoque pateris, Cæſar, quotieſcunque illas gentium victrices manus tuas contueor, illum Germaniç domitorem animum cogito, fixasque in ſacris poſtibus hoſtiles exuvias mecum reputo. In extremum jam orientem & occidentem ſuas virgas & ſecures tulerat gentium domina Roma, atque ultra Oceanum victrices fixerat aquilas, cùm unum adhuc ſibi à tergo imminentem videret Germanum. Tu autem Romano nomini nihil, quod timeri poſſet, nihil quod victoris populi felicitati ac ſecuritati obſtaret, ſupereſſe voluiſti: nec ante conquiêſti, quàm pulſis triumphatisque hoſtibus ex Germaniâ in urbem victor redires, & non multò pòſt pacatis rebus Orientis, majorem tuæ gloriæ cumulum adjiceres. Atque hinc illç lacrymæ. eminentioris quippe virtutis & gloriæ comes invidia

est, præsertim in animo dominantis, qui nihil eminens, nihil elatum circa se patitur, alienum fastigium in sui diminutionem accipiens. Verùm ut in acie, magne imperator, inter tubas & lituos, inter plagas & vulnera, sæpe te impavidum vidit miles; sic quotquot te nunc in majoris virtutis campo positum hîc contuemur, majoris quoque animi documentum abs te expectamus. Hîc specimen specitur, hic certamen cernitur, ubi cum ipsâ morte pugnandum est. Tantò autẽ majora mihi de te, Germanice Cęsar, in hoc mortalitatis officio promitto, quotiescunque te non magnum modò imperatorem, sed sapientem quoque virum cogito, omni literarum genere excultum, qui supra fortunam gerat animum: in eodem Achillem & Nestorem habeo, fortem & prudentem, & tot monstrorum domitorem Herculem, qui quemvis casum, quasvis injurias, vel spernere, vel vincere didicit. quæ erecti animi virtus ut in te illustrior & testatior foret, non jam hostilem tibi gladium, non Germanorum robora, & recollectis viribus pugnacem rursus Arminium, bellanti objecit fortuna, sed quam superare majoris animi est, indignam & acerbam mortem: cui jam propinquanti tantò, scio, occurres animosior, quòd magna exempla non spectantur, nisi in summâ fortunæ iniquitate, quæ invicti & generosi animi quasi obrussa est. Proinde verè magnum virum te ignorarent omnes, nisi in hunc virtutis campum delatus fores. ad Olympicum pulverem descendisse

ſcendiſſe viderere, ſed nemo prçter te: coronam caperes, ſed ſine victoriâ: eoque non gratularer tanquam viro forti, ſed tanquam conſulares aut prçtorios faſces adepto: honore, non gloriâ auctum dicerem, cui nempe ex voto fluant omnia, nullamque aſperior caſus experiundæ virtutis occaſionem dederit; qui inter proſpera vixeris hactenus, nec acerbiorem fortunæ vultum videris. Quin etiam miſerum vocarem, ſi nunquam miſer fores. Tranſires ſine adverſario ingloriam vitam: nemo quid poſſis, compertum haberet, ne tu quidem ipſe: quia ad notitiam ſui, experimento opus eſt, & quid quiſque inter ardua poſſimus, tentando diſcimus. Gubernatorem in tempeſtate, militem in acie cognoſcas. Inter aſpera magnus clareſcit animus, virtuſque in obſcurum itura, ingruentibus eniteſcit malis. Inter capillares conſules Atilium Regulum cogita: qui tot tormentis objicitur, ut documentum fidei, documentum patientiæ faciat. undique cutem figunt clavi, & quocumq; fatigatum reclinat corpus, incumbit vulneri, reſectisque palpebris, in perpetuam vigiliam ſuſpenſa videt lumina: ſed quantò plus cruciatuum, tantò plus erat gloriæ. Generoſus gladiator non cum imbelli adverſario conferet manum, qui ſtatim ſubmittat arma, ſcutumque projiciat: ignominiam putat cum inferiore componi: quia ſine gloriâ vincitur, qui ſine periculo vincitur. Idem facit fortuna, quæ fortiſſimos & ſibi pares quærit: contumacem & erectum aggre-

ditur, in quem vim ſuam effundat. Proſpera etiam in plebem & viliſſimum cadunt ingenium: at calamitates, terroresque mortalium ſub jugum mittere, proprium magni viri decus eſt, & prima virtutis gloria. Proindenon eſt, Germanice cæſar, quod iniquos hîc incuſes Deos. Vir bonus, mihi crede, Iovis Opt. Max. diſcipulus & vera progenies eſt, quam parens ille ſummus, virtutum non lenis exactor, ſicut ſeveri patres, duriùs educat. nos quoque, qui ſervulorum patimur licentiam, filios triſtiore continemus diſciplinâ. Ita bonos viros Diisque acceptos, anhelare, ſudare, & per ardua adſcendere; malos autem laſcivire, & voluptatibus fluere videas. Tantò autem minùs expaveſces jam imminentem neceſſitatem, ſi omnium, quæ nunc te angunt, malorum finem cogites. Vulgi quidem terriculum mors eſt, ſed quemadmodum multa per noctem habita terrori, ad riſum vertit dies, ita ſapiens diſcuſſâ popularis opinionis nube, mortem jam propinquantem rectis intuetur oculis, nec magis eam reformidat, quam Lamiæ turres & pectines Solis; quia non animo, ſed corpori ſupremam cogitat. Deinde æquum putat relinquere, non mancipio, ſed uſu datum. ſe totum inter precaria, aut fidei commiſſa numerat, & repoſcenti lubens reſtituit; quodque boni viri eſt, meliora reddit, quàm accepit, animum dico multis ornatum virtutibus. Tantò autem hanc communis fati viam ingreditur promptiùs, cui tot præeuntium impreſſa videt veſtigia, & denſum

ſum ac longum comitantium agmen, ſubſequentiumque numerum inexputabilem. nec terret eum conſueta & uſitata rerum ſpecies; quia inter funera hîc vivimus & conclamata corpora, inter buſta & accenſos rogos: nec quicquam magis vulgare eſt, quàm funebre præconium; nihil magis obvium, quàm feralis urna & ſandapila. Quodſi tamen mors aliquid etiamnum in ſe videtur habere mali, diuturnum, mihi crede, facies malum, ſi metuas, & totâ prope vitâ morieris, trepidiſque gladiatoris inſtar, eò magis convulneraberis & confodieris, quia neſcis adverſario præbere jugulum. multò autem moriere expeditiùs, ſi ferrum non ſubductâ cervice, nec manibus oppoſitis, ſed animosè recipis. Quid igitur adhuc tergiverſaris Cæſar? quid quæſo cum hâc immutabili naturæ lege pugnas, in quam naſcens jurâſti, atque eâ condicione huc intrâſti, ut exires? Ius gentium eſt, reddere rem fiduciariam. Vivere noluit, qui mori noluit: vita enim cum exceptione mortis datur. Acerbam, ſcio, & iniquam dicis, ab inimicis illatam: ſed, quod te hujus umbraticę doctrinę præceptis egregiè excultum non præterit, mortem ſapientes inter media numerant, per ſe nec bonam nec malam, quia ut quiſque eam ſubjerit, vel bonam vel malam efficit. Glorioſam itaque tu reddideris, ſi tibi animum ante auferat, quàm conturbet, nec ingruenti ſuccubuiſſe, ſed ſuperâſſe videare. Florentem,

fateor, & viridem te rapit: ſed optimum eſt, antequam optes, mori; peſſimum autem, cùm velis, nec poſſis. Omnibus mors finis eſt, multis remedium, quibuſdam votum: de nullis autem meliùs merita, quàm de his, ad quos venit, priùs quàm invocetur. Deinde non ex cenſu, aut annorum numero, hîc citamur. Senum juvenumque fata juxta volvuntur, & cùm plus vivere nequeas, hæc tua ſenectus eſt: nec refert quando patiare, quod quandoq; patiendum eſt: & fruſtra præproperè te interceptum quereris, quia

Nulli juſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum proferre diem.
Duræ peragunt penſa ſorores,
Nec ſua retro fila revolvunt.

Adde quòd brevior vita plerumque beatior eſt: *Quem diligunt Dii, is moritur juvenis,* inquit comicus: quia omne futurum incertum eſt, & ad deteriora certius:

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore & nigrâ in veſte ſeneſcant.
Longa dies Priamo quid contulit? omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam ferroq; cadentem.
Si foret extinctus diverſo tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas,
Incolumi Troiâ, patrias veniſſet ad umbras.

Si Cn. Pompeium, Romani decus imperii, Neapoli vali-

li valitudo abſtuliſſet, magnus certè ſuę gentis princeps exceſſerat, per omnia fortunam hominis egreſſus. nunc exigui temporis morâ ſuo dejectus faſtigio, in alieni percuſſoris venit arbitrium. Si M. Tullius pro rep. pugnans, Catilinæ ſicâ concidiſſet, multò vitam poſuiſſet feliciùs, nec rurſus adſpexiſſet feralem illam Syllæ tabulam, & virorum principum ſub civili haſtâ capita venalia. propterea nunquam ſapientibus cara in corpore mora eſt. exire ex caduco, atque ex his anguſtiis ad ſublimiora erumpere, atque ex alto humana deſpicere geſtiunt. Sapientis animus, quod olim ſcripſit Plato, totus in mortem prominet, hanc meditatur, hanc deſiderat, ut corporis vinculis exolutus, in conſortium veniat Deorum: quò etiam, quam omnes in te admiramur, prȩcox illa ſapientia & ſenilis juventa tua properat: quicquid enim ad ſummum pervenit, ad exitum feſtinat, nec ultimum expectant tempus, quæ in primo maturuerunt. Quò clarior effulſit ignis, citiùs extinguitur: ſic ingenia, quæ illuſtriora, breviora ſunt: quicquid enim ſuum incrementum præcepit, in occaſum præcipitat. Præterea, quod rectè monent ſapientes, non longiſſima, ſed honeſtiſſima vita optima eſt. ut gemmas non mole, ſed pondere æſtimamus: ita vita noſtra melior, non quæ multùm pateat, ſed multùm pendat, non tempore, ſed actu metienda. eoque nihil intereſt, ut diu vivas, ſed ut ſatis: nam ut diu vi-

vas, fato opus eſt ; ut ſatis, tantum animo, qui ſui compos ſit & honeſti amans. Proinde quamdiu ſis, alienum eſt ; quamdiu vir bonus ſis, tuum eſt. Quòd autem de tuorum inimicorum ſcelere imprimis expoſtulas, & jamdudum ultorem circumſpicis; non alia, mihi crede, peſtis humano generi pluris ſtetit, quàm ultionis rabies inter principes viros : hæc primum fudit ſanguinem ; hæc primam tectis ſubjecit facem. paſſim legere eſt tot gentium excidia ; has ultrix conſumpſit ira : paſſim videre eſt regiones urbibus frequentes, in ſolitudinẽ converſas ; has exhauſit ultor gladius. Hic furor cives in mutuam armavit perniciem: hæc rabies Syllanam ſuſpendit tabulam, & ſceleratam haſtam medio poſuit foro. Deinde, aut par, aut imbecillior, aut potentior, in te injurius fuit. Cum pari contendere anceps eſt ; ſi imbecillior lęſit, parce illi ; ſi potentior, tibi. nemo enim ſanus ſtimulum contra calces. potentiorum injuriæ non patienter tantùm, ſed hilari vultu ferendæ ſunt. facient iterum, ſi ſe feciſſe crediderint. Hoc enim habent peſſimum animi magnâ fortunâ inſolentes, quos læſerunt, etiam oderunt : propterea adeò regnantium injuriam vindicare interdum non expedit, ut ne fateri quidem expediat. At enim aliquam ultio habet voluptatem, & dulce eſt dolorem reddere.

Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia cauſsis.
Quantulacunque adeò eſt occaſio, ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulciq; ſenex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ ſævæ inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare.

Neque enim, ut in beneficiis honeſtum eſt, merita meritis repenſare, ita injurias injuriis. illic vinci turpe eſt, hic vincere; nec ab illatâ injuriâ differt ultio, quàm ordine: qui dolorem regerit, tantum excuſatiùs peccat. Ad hæc talionem reddere, & mordentem repetere, impotentem & incompoſitum arguit animum. pars mundi ſuperior, & propinqua ſyderibus ordinatior eſt, nec in nubem cogitur, nec verſatur in turbinem, omni tumultu vacua: inferiora autem fulminant: ita ſublimis animus quietus & adverſus injuriam inconcuſſus eſt, quaſi eam ne ſentiat quidem: ultio autem doloris confeſſio eſt. quanto autem viro forti magis dignum eſt, nulli injuriæ penetrabilem eſſe? Magnam quidem illam injuriam vocat vulgus, quod ipſum virtutis nomen Socratis, cicutam bibere jubetur; quòd magnus Pompejus jugulum præbuit ſpadoni Ægyptio; quod reciſum Tullii caput pro roſtris figitur oſtentui: indignum quoque, fateor, quod tu, magne imperator Germanice, hoſtili invictus manu, tuorum ſcelere hîc proſtratus jaces. Verùm, tametſi

nihil in rerum naturâ tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inveniat: nihil tam innocuum, in quod non inſultet proterva injuria: non ideo tamen divina minus in excelſo poſita ſunt, ſi non deſint qui eam magnitudinem multum ultra ſe poſitam irrito conatu petant. Invulnerabile ſanè eſt, non quod non feritur, ſed quod non læditur. quid quòd multò certius robur eſt, quod non vincitur, quàm quod non laceſſitur. Dubiæ ſemper ſunt vires inexpertæ; certiſſima autem habetur firmitas, quæ omnes incurſus reſpuit. Fortem bellatorem vocas, quem admota hoſtilis vis non exterruit; durum lapidem, qui ferro inexpugnabilis eſt: ita ſapientis animus firmus & ſolidus eſt, ſi nulli injuriæ pervius eſt. Quæ nervo vel tormentis in altum evibrantur tela, extra viſum quidem exiliunt, citra cœlum tamen flectuntur; ut cùm ſuperbus ille ex oriente rex telorum multitudine obſcuraret diem, nulla ſagitta in ipſum incidit ſolem. Ita magnus animus velut in excelſo poſitus eſt, extra omnis injuriæ contactum, & quicquid proterva in eum audet violentia, multò citeriùs deficit: adeò ut etiam catervatim undique ingruentibus malis, mens tranquilla ſit, quod magnas ejus vires arguit: ſicut maximum imperatoris armis viriſque pollentis documentum eſt, tuta in hoſtico ſecuritas. Fruſtrà certè eum exterreas, vel mortis vel alius damni metu, qui nihil mendaci fortunæ credens, ſua bona in

na in ſolido habet, unâ contentus virtute, quæ fortuitis nec minuitur, nec augetur; quia in ſummum perducta, incremento non relinquit locum. Illa inter micantes gladios & hoſtilem ſtragem ſtat immota; inter flammas & ſanguinem rectos tenet oculos; inter templorum fragorem ſuper Deos ſuos cadentium, ſe unam indemnem teſtatur; quia ejuſmodi poſſidet bona, in quæ non eſt manus injectio. Ne Babylonis cum illâ contuleris muros, quos penetravit Alexander; non Carthaginis mœnia aut Numantiæ, Scipionis ſpolium; non Capitolinam arcem, quæ & ipſa hoſtile habet veſtigium. urbium everſor miles, muros labefactat incurſu arietis; prælatas turres ſubterraneis ſternit inſidiis; nulla autem machinamenta reperias, quæ bene fundatum dejiciant animum. Nec eſt quòd dicas, mi Germanice, nuſquam eum inveniri. neque enim vanum humani ingenii nunc fingo decus, nec ingentem falſæ rei imaginem concipio. Socrates, quem nôſti, perpeſſitius iſte ſenex, & per omnia aſpera jactatus, qui fortaſſis etiam ſupra noſtrum exemplar ſit, cùm omnem ætatem aut in gravi bello, aut in tyrannide, aut in libertate, bellis & tyrannis multo ſæviore, exegiſſet, ad carcerem denique & venenum damnatur, malevolorum invidiâ: quæ uſque eò animum ejus non incurvarunt, ut ne vultum quidem mutârint, quem eundem ad extremum ſervâſſe dicitur: nec hilariorem quiſ-

quiſquam, nec triſtiorem vidit Socratem, ſed æqualem ſemper in tantâ fortunę inęqualitate. Tua quoque Roma, Cæſar, magna habet exempla, quæ te ad parem virtutem vocent. Flammam Mucius, crucem Regulus, exilium Rutilius, ipſamque mortem ferro adactam vicit Cato: ita te quoque bellatorem virum, hanc iniquam mortem multò minus expaveſcere æquum eſt, qui omnem ætatem inter bellicos terrores exegiſti, morti ſemper quàm vitæ propior; qui toties inter ſtrictos mucrones, & micantes gladios, inter vulnera & ſanguinem, tuæ vitæ contemptor ſtetiſti, mortemq; familiarem & minus terribilem reddidiſti. Tot utiq; diſcriminum & laborum victor animus, non horret novum vulnus, in corpore tam cicatricoſo. Cæterùm hoc quoq; gravem dolorem tuo inurit animo, quòd procul urbe, procul penatibus, in extremo oriente moriendum ſit. Dulce cuique, fateor, patrium eſt ſolum, adeò ut Ithacam in aſperrimis ſaxis, tanquam nidulum, affixam, ſapientiſſimus vir Vlyſſes, immortalitati, quam Dea obtulit, antepoſuerit. Ita vulgò patriâ carere magnũ eſt malum: quia nempe id populus juſſit, cujus ſcita magnam partem abrogat ſapiens. Remotâ igitur multitudinis perſuaſione, quæ plerumque diſcrimen non facit, nec ſignat lineâ albâ, rem ipſam extra nubem contemplare. Si patriâ carere malum vocas, tuam quoque Romam miſeram puta: maxima enim illius turbæ

pars,

pars, cui vix urbis immensæ tecta sufficiunt, patriâ caret. Alios ambitio adduxit, alios luxuries, opulentum & opportunum voluptati locum quærens: pars venalem attulere formam, alius venalem eloquentiam. singulos ad nomen citatos, unde domo quisque sit, percunctare: majorem partem reperies in maximam quidem, non tamen in suam venisse urbem, quæ vitiis pariter & virtutibus magnum ponit pretium. Cætera terrarum si circumeas, totas gentes videbis peregrinari, in mediis Barbarorum finibus urbes Græcas, magnas Achaiæ civitates Ponticis impositas litoribus. Miletus super LXX. urbium genitrix, populum in diversa effudit. Tyrii Africam, Hispaniam colunt Pœni: Græci in Galliam, in Græciam Galli transiere. Per invia & incognita se versavit humana levitas, conjuges & liberos, gravesque senio parentes, in alienum trahens. Alios urbium excidia, aut infelicis soli vitia expulere; alios domestica seditio, aut superfluentis turbæ onerosa multitudo exhausit: alios alia causa domibus suis ejecit: quæ populorum migrationes quid aliùd quàm publica exilia sunt? Ne autem longiore te circuitu hîc traham, tuam Italiam cogita, totamque oram, quæ infero præcingitur mari, majorem Græciam fuisse; Antenorem Patavii conditorem; Euandrum in Tiberis ripâ suos Arcadas collocantem; aliosque tecum reputa, quos Trojanum bellum, victos simul victoresque per a-

lienas diffudit terras. Ipſe denique, quod haut neſcis, Romanus populus, ubicunque vincit, habitat, & libenter in alieno hoſpitatur, auctorem gentis exulem imitatus, quem profugum & exiguas trahentem reliquias, neceſſitas & victoris metus, in tuam tranſtulit Italiam. In ſummâ, pauci indigenæ ſuam terram colunt: quibus adverſus nimium patriæ deſyderium in promptu remedium eſt, quòd quocunque terrarum, vel fatum, vel conſilium nos detulerit, eòdem virtutem ferre, & eâdem rerum naturâ frui liceat. Magnus ille formator univerſi, ita nobis conſuluit, ut quod homini optimum eſt, non cadat in alienum arbitrium. Mundus hic, quò nihil ornatius Natura genuit, & ejuſdem contemplator animus, ita propria & perpetua hominis bona ſunt, ut, quocunque res tulerit, circumferre liceat. Vndecunque ex æquo ad cœlum erigitur acies: paribus ubique intervallis divina ab humanis diſtant. Quid igitur tuâ, Germanice, refert, quali terræ imprimas veſtigium, domi an peregre noviſſimum reddas ſpiritum, dum animum ad cognatarum rerum conſpectum extollere, atque ipſis inhærere ſyderibus, & cœleſtibus miſceri liceat? Antiochia, quam tibi fatalem urbem & noviſſimam nunc credis, comitatem, continentiam, & civilem animum, cæteraſque virtutes tuas admirata hactenus eſt, & majores in hoc cum ipsâ morte certamine expectat. nulla autem peregrinanti terra inju-

ra injucunda, vel gravis videri poteſt; in quâ cum tanto virtutum comitatu vivere vel mori liceat. adde quòd peregrè moriens, in patriam ſine viatico redit, nec gravior foris, quàm domi ſomnus eſt. Quid igitur patriam urbem, tuis meritis jam anguſtiorem, etiamnum requiris? quid Romam tuam adhuc cogitas imprudens, quæ nec triumphos, nec magnitudinem tuam capit, &, quod jam dicere ſubigit toto pectore erumpens indignatio, non meretur. Rerum geſtarum cœlo æquatus cumulus aliam tibi ſedem deſtinat: aliò te virtus, terrarum ſpatiis major, vocat, inter ipſa ſydera, extra hanc illuviem & inferioris mundi contactum. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem eximia virtus admittitur, in ſuam reditura originem. quò receptus, damnabis prioris domicilii anguſtias, & ex alto deſpiciens contemnes hunc terræ pugillum, qui inter tot gentes ferro flammâque dividitur, ridebiſque in anguſto laborantes ambitioſos reges. Poſtremò, ne te morer noviſſima jam expectantem, magnanime heros, hoc unum accipe, in mortis iniquæ ſolatium, quòd non omnis moriere, qui tot virtutis monumenta & gloriæ, in omnium animis relinquis. Neque enim hujus, quod nunc eſt, ſeculi ſpatiis tuæ virtutis clauditur præconium. Tua merita omnis loquetur poſteritas, omnis cogitabit memoria. per te enim Rheno & Euphrati parta ſecuritas eſt: per te Romani

imperii terminus, qui multò ſtabat citeriùs, ultra Viſurgim procurrit: tuis armis, qui ſolus jam timebatur, ſuccubuit Germanorum Achilles Arminius. In te denique omnem hactenus ſpem habet oppreſſa reſp.

Non puer Iliacâ quiſquam de gente Latinâ
In tantum ſpe tollet avos, nec Romula quondam
Ulto ſe tantum tellus jactabit alumno.

Proinde vivis viveſq; per omnium ſeculorũ memoriã. dumq; hoc rerũ Naturę corpus ſtabit incolume, comitem ęvi ſui laudẽ Germanici trahet perpetuã.

Te quoque, generoſa heroina Agrippina, quamvis ſolatii vix patientem, paucis alloquar, in acerbiſſimo hoc caſu, quem ne Socraticus quidem Hercules patienter ferat, nedum miſella tolerando ſit mulier. eoque fluentes ex affectu lacrymas non ſupprimam, quibus meas quoque commiſceo; quia magnum calamitatis delinimentum eſt, dolori dediſſe lacrymas, & pectus laxâſſe ſuſpiriis: neque ulla major pœna eſt, quàm miſerum eſſe, nec videri. Hos tamen inter gemitus & lamenta, mentem in te erectam, quæ principem deceat feminam, omnes requirunt, & quem non ita pridem, ingruente Germanorum exercitu, trepidis in ripâ Rheni legionibus magnum oſtentâſti animum, eandem nunc quoque conſtantiam expectant. In eâ quæſo te urbe natam cogites, quæ complures feminas ſupra ſexum fortes edidit: quæ

Cloeliam

Cloeliam ob insignem animi virtutem tantumnon in viros transcripsit: quæ ex unâ familiâ duas Cornelias tulit, nihil muliebre præter corpus gerentes: quarum altera Gracchorum mater, magno animo duodecim partus & totidem vidit funera: Tiberium autem & Cajum cæsos adspexit & insepultos. Altera filium Drusum, tribunum plebis, intra penates suos interemptum, non minore tulit animo, quàm ipse leges tulerat. Tu quoque, quamvis hoc gravissimo percussa vulnere, animum supra fortunam erige. hoc Romanâ muliere, hoc Augustâ dignum sobole est. Rapuit quidem sceleratus Piso & Plancina tuo Germanico lucem; rapuit melioris ætatis florem: famam vero gloriamque factorum adeò non abstulit, ut etiam auxerit, virtute invictum confessus, quem abstulit dolo. Tu, scio, in tanti doloris solatium vindices imploras leges, & ultrices poscis manus: verùm sibimet supplicium est flagitiosus animus: &

——pœnâ denique gaudebis amarâ
Nominis inviſi, tandemq; fatebere læta,
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Dorum.

Quia autem jam jam excessurus Cæsar, ad suam Agrippinam & parvulos liberos ægram adhuc protendit manum; oculos autem ad vos convertit, circumstantes duces & milites, quod deficiens moribundi nequit vox, nutus indicat: nimirum vobis & Romano populo miseram commendat conjugem,

& desolatos liberos ; vobis ultionem mandat scele-
„ris? q, d, Accipite, quotquot adestis mearum
„miseriarum testes, Amici, & milites, accipite, in-
„quam, miserandas vestri Germanici reliquias, &
„quem vivum coluistis ac florentem, quem trium-
„phatis hostibus gratulabundi toties in urbem re-
„duxistis victorem, eidem nunc per scelus interce-
„pto, debitas quæso persolvite inferias, ut ne impiũ
„illud caput Piso meis impune insultet manibus.
„meã quoq; Agrippinã, vel vestram potius respicite,
„illam Augusteam sobolem, suo fraudatam conju-
„ge, derelictam, opportunam injuriis; illam tot
„liberorum viduam matrem, squalore & lacrymis
„confectam, omnisq; præsidii, præter quod à vobis
„expectat, egenam. Vestram misella fidem, ve-
„stram implorat opem, quando in suâ innocentiâ
„habet nullam. Tu quoque, alma parens Roma,
„suscipe quæso tuos alumnos, mea desolata & pro-
„culcata pignora.

„ *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*
„ *Dulce meum, miserere domus labentis, & illam*

„innocuam atque inopem parvulorum ætatem, il-
„lam Cæsaream & Augusto nomini devotam re-
„spice progeniem, quam tibi genui, tibi educavi
„hactenus. Tibi debent, quòd spirant, quòd lucem
„adspiciunt: à tuâ quoque benignitate, in quâ om-
„nis jam spes est, hoc expectant, quòd se humo tol-
„lent, quòd ex hoc situ & squalore olim emergent,
ad gen-

„ad gentile decus & avitos ituri honores: quâ ſpe „& fiduciâ jam nunc ſuam tibi conſecrant prætex„tam, ut virilem olim pro tuâ majeſtate & gloriâ „capeſſant togam. Plura verba nec veſter erga me „deſyderat amor, nec jam deficiens ſpiritus eloqui „poteſt.

Vos autem, quotquot veſtrum Germanicum antehac fortiter vidiſtis bellantem, ſæpe cum hoſtibus Germanis congreſſum, ſæpe vidiſtis victorem; nunc autem inter Agrippinę amplexus & ſuſpiria, inter liberorum lacrymas & gemitus, cum ipsâ morte luctantem cernitis, reputate quæſo, qualem ipſi ad hoc noviſſimum certamen allaturi ſitis animum, cùm vel Naturæ, vel fato ultimus reddendus erit ſpiritus: quia non alia quàm cum illo adverſario acrior pugna eſt; non alius triumphus major, quàm expugnâſſe mortis metum: quod ut poſſimus, multùm diuque præparandus animus eſt. Omnem ætatem ad beatè vivendum impendit ſapiens, omnem quoque ad beatè moriendum. Nec eſt quòd ſupervacuum putes id diſcere, quo ſemel modò utendum ſit: hoc ipſum eſt, quare ſemper meditari debeas, quod an ſcias, experiri non potes. Verùm quia multi difficillima quæque ſibi facilia fecere ſæpius agendo, nos mortem, quæ vulgò maximè gravis & terribilis videtur, nobis familiarem reddamus ſæpius cogitando, hanc inexorabilem & decretoriam eſſe horam, hanc immutabilem Naturæ

turæ eſſe legem, nec domum eſſe hoc corpus, ſed breve hoſpitium, quod relinquendum ſit, ubi te hoſpiti gravem eſſe videas: quod in juventâ æquè atque in ſenectâ accidere poſſe, funeſtus hic teſtatur dies, qui nos vetat ſpes inchoare longas. Rem, „inquis, faciam, ædificabo, navigabo, magnos ho„nores geram, laſſam denique & affectam ætatem „in otium referam:

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt: id quoque quod tenemus, inter manus elabitur, & quam premimus horam, improviſus incîdit caſus. Nihil ſibi de futuro quiſquam debet promittere. ſtat quidem nobis terminus, ubi illum inexorabilis fatorum fixit neceſſitas: ſed, quàm prope verſetur, neſcimus. Sic itaque ſemper formemus animum, tanquam ad noviſſima ventum ſit, & nihil differendo, quotidie cum vitâ paria faciamus, & ſingulos dies ſingulas putemus vitas. quaſi nihil interſit inter diem & ſeculum: utque ſecuri ſimus, & ad neceſſitatem ultimam ſemper impavidi, perfectam quotidi & totam vivamus vitam.

DIXI.